ANGELO MARIAE QUIRINO
S.R.E. CARDINALI BIBLIOTHECARIO
BRIXIAE EPISCOPO
QUOD
PRAECLARO HUIC TEMPLO PERFICIENDO
AB ANNO CIƆIƆCV AEDIFICARI COEPTO
CURAM OMNEM IMPENDENS
PROPRIO AERE LARGE COLLATO
ILLUD ARA MAXIMA
ET SPLENDIDIS ALIIS ORNAMENTIS
MUNIFICENTISSIME DECORAVERIT
DIVINOQUE CULTUI APTUM
EX INSPERATO REDDIDERIT
SEPTEM VIRI BRIXIAE
AEDIUMQUE SACRARUM CURATORES
GRATI ANIMI MONUMENTUM
ADHUC VIVENTI
P.P.
ANNO DOMINI CIƆIƆCCXXXVII

FABII DEVOTI ROMANI
EPISTOLA
AD REVERENDISSIMUM PATREM
D. FELICEM MARIAM
NERINIUM
SS. BONIFACII ET ALEXII
Hieronymianum Abbatem

POST EDITIONEM ROMANAM

ITERUM CUSA BRIXIAE MDCCLII.

Binis adjectis Italicis Versionibus
metro ligatis.

BRIXIANUS ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΣ

AD LECTOREM.

GAvisa est quammaxime Brixia, ut primo Roma huc pervenit Epistola quædam Poetæ Romani, quod ibidem laudes amantissimi Antistitis nostri Ang. Mar. Card. Quirini iis confertas videret, quae Hieronymiano Praesuli, cui Epistola illa inscribitur, pro merito tribuuntur. Ex eo autem gaudio adductus statim sum ego, ut ornandae Imagini Pastoris nostri Eminentissimi (ea ratione quam cernis, bone Lector) versiculos aliquot aptarem, quos mihi eadem Epistola suppeditavit. Id quum valde probassent Cives mei, magno praeterea incensi sunt desiderio, ut Scriptionis illius elegantissimae, Hora-

tia-

tianisque saporibus undique inspersae, nova in nostra hac Urbe Editio curaretur, Italicis aucta versionibus, aliisque accessionibus, quibus argumentum praeberent ea ipsa QUIRINI facta, quorum famam ad Antipodas usque pervasisse testatur unus ex Interlocutoribus a Poeta adhibitis, ille scilicet, cui

Asperiora solet mandare negotia PRINCEPS,
Cui satis ingenium, doctrina, fides, & honestas
Sunt perspecta Viri.

Jamque praestantiora hujus Urbis ingenia ad symbolas suas novae isti Editioni certatim contribuendas sese comparabant, quippe de ANTISTITE SUO, quem summopere colunt, unanimes ajebant,

Hunc si mobilium turba QUIRITIUM
Certat tergeminis tollere honoribus,

annon aequum est, ut hisce exemplis incitata Brixianorum pectora ad Eundem collaudandum majori quam antea ardore ferantur? At nostrorum hominum impetum istum, pium utique atque concordem, repressit insignis, qua pollet, CARDINALIS noster moderatio; passus siquidem Italico metro reddi Epistolam illam, vetuit tamen, ne Musae nostrae de suo quidquam eidem assuerent. Adactae igitur istae sunt leves calamos suos frangere, atque id unum iteratis ego precibus impetravi, ut saltem sinerer, honorem Statuae ab Ipso collatum in BENEDICTUM XIII. plenius celebrare, quam Poeta Romanus fecisset, deinde etiam paucula quaedam adjungere, quae Romani typi publici jam juris reddidissent.

Incipiens ergo ab honore Statuae, quem dixi, ab

AN-

Antistite nostro recusatum fuisse, eum his verbis describit Epigraphe inscripta basi Statuae Benedicto XIII. P. M. erectae sub Porticu Templi S. Alexii

STATVAM HANC
BENEDICTO XIII. URSINO
BENEFACTORI SVO
VERE MAXIMO VERE OPTIMO
ANG. MAR. CARDIN. QVIRINVS
BIBLIOTHECAR. S. R. E. EPISC. BRIXIEN.
PONENDAM CVRAVIT
VICE ILLIVS
QVAM SIBI IPSI HOC EODEM LOCO
BENEVOLE SANXERANT ERIGENDAM
MONACHI CONGREGAT. HIERONYMIANAE
ANNO CIƆIƆCCLII.

Porto exemplum hoc grati animi, ceu facinus non alias forte in superiorum temporum historia legendum, dignum utique foret prolixi Poematis argumentum, at mihi per Ejusdem Antistitis voluntatem id unum licuit, ut cum Poeta Romano in eo facinore celebrando certarem, quin tamen Musa mea hac & illac, ut Poetis passim contingit, vagaretur. Modum itaque versibus meis constitui ei ferme parem, quem Romanus Poeta servavit, cecinique tenui avena quae sequuntur, ejusdem Poetae vestigiis insistens:

Nec te decipiat solido de marmore in ipso
Vestibulo Simulacrum augustum ingens Benedicto
Pontifici positum; non illud nuntiat altae
Auctorem molis, memorandum at tempus in omne
Exhibet exemplum, quo magni grata Quirini
Mens, sibi promeritos oblita, rependit honores

Olli,

Olli, quem memori non unquam pectore ponet,
Et cui Romano debet, quod fulgeat Ostro.
Te vocat in partem laudis, monumentaque seris
Temporibus mansura, sibique oblata recusat,
Ut tua perpetuos etiam hoc Tibi marmore fama,
Respondens meritis, BENEDICTE, *perennet in annos.*
Non ita magnanimus Pollucem Castor amavit,
Cum sibi quam dederant aeternam vivere vitam
Numina communem fratri exoravit utrique.

Transitum modo facio ad ea, quae dixi Romam publici juris fecisse, & quidem eo ipso tempore, quo prodiit Epistola, de qua agitur, in libro scilicet, quem justis praeconiis extulit illius Epistolae Author, *solidae critices opus admirabile* ipsum appellans, namque, ait ille,

Quique vetustatis sitiunt arcana profundae,
Hinc poterunt explere sitim de gurgite pleno.

Liber ille de Templo & Coenobio SS. Bonifacii & Alexii a Nerinio Praesule Hieronymiano, cujus est opus, inscribitur Emo CARD. QUIRINO, & postquam hujus laudes breviter idem Praesul in Epistola Nuncupatoria perstrinxisset ex causa praesertim liberalitatis *pene divinae* ad cultum ipsius Dei conversae, de Alexiani Templi exaedificatione *sumptuosa, magnifica, plena splendoris, ac dignitatis, animoque vere regio suscepta*, haec subdit: *Denique fuerint haec magna, quae revera magna sunt, atque ita ut infinitis ac tam distractis sumtibus Te sufficere unum mirentur omnes; tamen (vere ut dicam) inerat in iis aliquid, quod beneficentiam Tuam deberi sibi quodammodo postularet. Fuerunt causae quaedam non necessariae illae quidem (ne-*

que

que enim pro magnitudine animi tui liberalitatem exiliter ad calculos exigendam putas) fuerunt tamen. At hujus tanti ac tam praeclari beneficii erga nos tui quidnam causae afferri potest, nisi ipsa eadem tua liberalitas, quae non officii necessitate expressa, non a genere, non ab occasione aliqua repetita, non diuturnis precibus efflagitata, non alienis cobortationibus atque exemplis provocata, sed sua sponte manat ipsa latius, atque ad communem quamcunque Christianae Reipublicae utilitatem diffunditur.

Dolebas enim vehementerque angebaris, cum videres Templum Romanum, antiquissima Religione praeditum, Romanorum Civium Sanctissimorum memoria consecratum, jam vetustate corruptum, vix non jacere in solitudine & squalore; & non Romanus quum esses, tamen voluntarius Romanae pietatis Patronus ac defensor, in tanta licet oppugnatione rerum maximarum, ut aliena respicere vix possis, inaudito liberalitatis exemplo, infinito sumtu, Templum ipsum restituendum curas, atque ita restituendum, ut propter novum aedificii splendorem illa ipsa Templi senectus ac prope ruina optanda nobis propemodum atque expetenda fuisse videatur. Quae igitur illustrior, quae verior laus liberalitatis est nisi haec est?

Sed habet eadem Tua erga nos liberalitas praestantius quidpiam atque cumulatius, quod non dissimulabo, licet vulneris nostri sensum refricare possit. Etenim non modo nihil causae erat, quamobrem de Alexiano Templo restituendo cogitares, sed erat aut esse aliquid videbatur, quod Te a suscepto illo consilio debortaretur. Nam cum propter obscuras quasdam su-

 spicio-

spiciones Hieronymianae Familiae nostrae Patrocinium abjecisses, non Tu Paternum in nos animum, non difficillimam restituendi Templi curam abjecisti, sed cum per ea tempora nobis animus esset abjectior, ac spes nostrarum rerum fractior, Tu confirmasti majorem in modum, ita quidem, ut, pristino illo vinculo dissoluto, arctior quaedam maneret conjunctio amoris atque beneficiorum. O liberalitatem maximam ac certe divinam! (nam quo alio nomine appellem nescio.) Non enim hoc effici potest nisi divina quadam virtute, quae in ipsa conscientia recte factorum & nulla in re alia laetatur. Hoc vulgus hominum, qui specie rerum capiuntur, fortasse non intelligit, sed certo atque incorrupto sapientissimorum hominum judicio expenditur ac laudatur. Hoc denique Tuum unius est, QUIRINE *Cardinalis Eminentissime, quod ita me in admirationem rapit, ut (nisi fallor, propterea quod quae nos afficiunt ea magis solemus admirari) certe quidem reliquis a Te in eodem genere praeclare gestis rebus omnibus anteponendum putem. Quare sine, quaeso, ut in hoc uno & Tibi & nobis, tibi quidem de virtute tua, nobis de felicitate nostra vehementer gratulemur; sine, ut hoc immortale tuum beneficium, & gratiarum, qua possumus, actione prosequamur, & benevolentia complectamur sempiterna.*

Et quidem aliae virtutes Tuae sane maximae atque admirabiles, Religionis studium singulare, sanctissimae vitae constantia, Ecclesiae tuae regendae prudentia, splendor in publicis, in privatis frugalitas, jam omnium sermone & plausu celebrantur. Nam ingenuarum artium doctrinam, & divinarum literarum scien-

ſcientiam ſatis ea, quae abs Te profecta, propter exquiſitam eruditionem & elegantiam jam omnium teruntur manibus, pulcherrima ingenii tui monumenta teſtantur & praedicant. Haec autem omnia non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando non erat mearum virium, non erat perbrevis Epiſtolae, qua id ſpectavi unum, ut oſtenderem bujuſce Libri inſcriptionem deberi praeter Te nemini.

Haec quidem ſine fuco Nerinius Abbas, qui praeterea naturae ſuae bonitatem aeque palam oſtendit, dum recitatis iſta mox ſubjungit; *Hactenus de cauſis, quae mibi cum reliquis noſtris bominibus communes ſunt; ſed non deſunt aliae peculiares & propriae, quibus Tibi me in perpetuum obſtrictum babes. Nam cum rerum mearum ſtatus, ut ſunt bumana, immutatus eſſet, & in repentina quadam calamitate, veluti uno in ſcopulo baeſiſſet ille Tibi non ignotus curſus induſtriae meae, memoria teneo, & nunquam profecto excidet ex animo, qualem Te babuerim, quam promtum, quam benevolum propugnatorem ac defenſorem nominis, exiſtimationis, ac fortunarum mearum. Tu me jam labentem excepiſti, corruere noluiſti, fulſiſti auxilio, patrocinio, autboritate; ut propterea quicquid ſum, ſiquid ſum, Tibi maxime deberi libentiſſime prae me feram. Quid? quod cum Tibi bujuſce Libri perſcribendi conſilium meum aperuiſſem, Tu mibi autbor, ſuaſor, bortator fuiſti, ut ne ceſſarem, ſed illum emitterem, in Te ipſe quodammodo recipiens, fore, ut eruditis viris non injucundus, & fortaſſe non omnino inutilis ſit. Quod tuum magnum intelligenſque judicium tanti facio, ut minus aliena pertimeſcam.*

Parem

Parem animi celſitudinem, beneficentiamque, ac ea cujus attulit Nerinius indubia documenta, PURPURATUM PATREM æque in rebus literariis tractandis exhibere conſueviſſe, ſatis mihi erit unum & alterum dumtaxat in medium afferre teſtimonium, unde nimirum conſtet, de ea laude VIRO illi debita ultramontanas etiam nationes Gallicam, & Germanicam concorditer judicare. Mecoenatem omnium adjumentorum genere commoda literarum curantem in Emo QUIRINO repraeſentant doctiſſimi Galli, Ephemeridum Trevoltianarum conditores ad menſem Auguſti an. MDCCXLV. his verbis: *Son Eminente Dignité ne l'empêche point de ſe prêter a tous ceux qui cultivent les beaux Arts, il reçoit leurs lettres, il y repond, il les prévient même, il entre en ſocieté d'étude, il diſcute, il travaille avec eux, il permet qu'on lui faſſe des difficultés, qu'on oſe contredire ſes ſentimens, il aime une controverſe utile aux progrés des ſciences, & il la rend aimable par un commerce exemt de faſte, d'empire, d'affectation. Il forme en ſa perſonne une eſpece de centre litteraire, on le connoit dans toutes les Academies, dans tous les Pays, ou l'on ſcait penſer, parler, & ecrire, on ambitionne d'être connu de lui, & il ſuffit pour cela d'être amateur des lettres*. Germanorum autem de ejuſdem VIRI ſtudiis ſententiam hoc pacto publicavit, qui nemini inter eruditos illius regionis ſecundus habetur: *In bis omnes agnoſcunt* QUIRINUM *illum, cui nullo non tempore in more fuit antiqua jura fortiter tueri, & ab aſſentandi ſtudio, tunc, cum rei ſacrae, & divinae cauſa agitur, ſe longiſſime removere. Eſt igitur*

hoc

hoc etiam nomine, ut diu vivat Superis supplicandum, ne Respublica Christiana tanto suo vindice ante diem orbata, eo se redactam aliquando sentiat, quo, qui ejus perniciem meditantur, vehementer cupiunt redactam. Vix quisquam credat QUIRINI studiis aeque favere Heterodoxos ipsos, adeo ut nuperrime ex Valle Telina Vir Catholicus, literis sacris & prophanis admodum excultus, ita scripserit: *Vien Egli acclamato per fin da' nemici di quella Credenza, della quale è un sì fermo sostegno, e nell' atto medesimo, in cui sta alle prese con essi loro, e ne bolle fervida la mischia. In due parole: Amabile la di Lui Virtù quanto la Pudicizia, che sforza a venerazione ed amore per fino quei nemici, che combattono contro essa per annichilarla.* Hic ipse Vir ingenio promptus ad suaves argutias, donatus a QUIRINO suorum Operum Catalogo, de hoc sibi plaudens, haec habet in literis ad amicum Brixianum: *Distinto piacere e gloria trovai nel favorito Catalogo al vedermi possessore fortunato di tante e tante delle Opere registratevi: però con assieme le lagrime di Alessandro Magno sparse sopra quel restante di Mondo, che la di lui cupidigia non aveva ancora ghermito.*

Equidem tanta est QUIRINIANORUM Operum apud Germanos existimatio, ut Commentarios de rebus ad ipsum pertinentibus iidem primo recuderint, deinde in vernaculum sermonem converterint, ac tandem consilium ceperint, quod nuperrime literae Lipsia huc missae nobis nunciarunt hoc pacto: *Commentarios Eminentissimi Card.* QUIRINI *ab omnibus solidioris & elegantioris doctrinae cultoribus summo cum plausu exce-*

exceptos proximis nundinis Paſchalibus J. H. Nonnius in Epitomen contractos in charta nitida, & alba, & elegantibus characteribus, fida Eminentiſſimi CARDINALIS *imagine, aliiſque figuris aeri inſculptis ornatos edet, addito exacto Scriptorum Eminentiſſimi* PRINCIPIS *Catalogo cum Adnotationibus. Author verſionis eſt Juſtus Fridericus Breithauphus Artium magiſter, Reg. Soc. Teut. Gottingenſis, & Ducalis Helmſtadienſis Socius.* Maximopere gauderet Muratorius, ſi in vivis degeret, cernens ſummo in pretio ubique haberi eos Commentarios, quos ipſe, vix lucem viderunt, hoc pacto collaudavit: *Difficilmente ſi moſtrerà perſonaggio d'alto affare che abbia fatta sì onorevol comparſa in tanti paeſi, con sì nobili corriſpondenze, con un corſo sì ben ſtato di merito, di ſtudj, e d'induſtrie, terminato in sìglorioſa eſaltazione. Ob che belle lettere del Cardinal di Fleury &c.* Ita ille in literis, tres dumtaxat, aut quatuor menſes ante obitum ſuum datis.

Atque hic finem facio, animadvertens quo longius mea haec exterorum de laudibus QUIRINI CARDINALIS teſtium recenſio protrahatur, eo triſtius Brixianas Muſas indignari, quod ſolae ipſae adactae fuerint de HEROE ſuo voces ſupprimere. Ego quidem eaſdem aeternum valere jubebo, nam ſilere juſſa de QUIRINI virtutibus, dum Romano Poetae te veluti provocanti reſpondere parata fores,

Quem Virum aut Heroa lyra, vel acri
Tibia ſumes celebrare Clio?

AD

AD REVERENDISSIMUM PATREM
D. FELICEM MARIAM NERINIUM
SS. Bonifacii & Alexii Hieronymianum Abbatem

FABII DEVOTI ROMANI ACADEMICI QUIRINI

EPISTOLA.

EST aliquid tibi narrandum, NERINE, quod esse
Jucundum fortasse tuis queat auribus: audi.
Nuper Aventini superaram mollia clivi
Culmina, perque jugum tacitus spatiabar amoenum,
Oblectans oculos subterlabente per Urbem
Tybride, camporum tractu, pelagoque remoto.
Quippe ibi constiteram contemplabundus, ubi mons
Aede coronatur, quam Roma frequentat, ALEXJ.
Spectaram, quanta cum majestate decorum
Porticus exurgens hexastyla (1) *limen obumbret.*
Mirabunda diu tenuit mea lumina signum,
Quod positum stat ibi, venerandum ut posteritati
Exhibeat vultum BENEDICTI Pontificis, qui
Virtutesque, genusque URSINO e sanguine duxit.
Visaque magnifici fuerant mihi singula Templi,
Spectantes quae saepe nova dulcedine sistunt.
Intuleramque pedes per formosissima vasti
Atria Coenobii, scalas, triclinia, cellas,
Atque omnes aditus: demum defessus eundo
Fronde super viridi captabam frigus in horto (2).
Cum video lento geminos accedere passu
Ad me forte Viros, placida horum fulget in ore
Majestas, ambo comi gravitate verendi.
Flos hominum! quales animae! qua corda virorum!
Protinus agnovi: nemo mihi notior istis.

Alter

(1) Frons Porticus sex columnis suffulta ἑξαςυλὸς, ut τετραςυλὸς quatuor columnarum ordinem habens. *Vitruv. lib. 3. cap. 2.*

(2) Qui Monasterio contiguus eo utitur prospectu, ut verius de ipso, quam de Janiculo dici possit Martialis illud:

Hinc septem geminos videre montes,
Et totam licet aestimare Romam.

Alter erat BALDINUS (3) enim, quem Brixia fortis
Progenuit, propriis at Roma Quiritibus addit.
Haec mirata Virum docta pietate coruscum,
Dicundis toti praefecit ritibus Orbi,
Nuper & evectus merito extollente, Somaschae
Militiae rexit summus sacra fraena Strategus.
Ast alter LUCATELLUS (4) erat: quot nomine in uno
Nomina comperies laudum! generosius illo
Vix quidquam Insubriae (5) genitum memoratur in oris.
Ipse Poetarum Moecenas lautus, amicos
Deligit e doctis priscae virtutis alumnis:
Divitiasque, domumque suam, quibus utitur amplis,
Communes finit usque sodalibus omnibus esse.
Ipse Quirinorum (6) Coetus Aedilis haberi
Magnifice curat: tum Signa (7) tuetur, & auget (8),
Quae Capitolinis servantur in Aedibus. Olli
Asperiora solet mandare negocia (9) PRINCEPS,
Cui satis ingenium, doctrina, fides, & honestas
Sunt perspecta Viri, qui praemia nulla requirit,
Praeter honorandae decus, incrementaque Romae.
Quis Romanorum quaeso, NERINE, meretur
Tam bene de Patria, quam nobilis hic peregrinus?
Singula nec veterum quisquam monumenta Quiritum,

Si

(3) Reverendissimus P. Jo. Franciscus Baldini Sac. Rituum Consultor, functus Praefectura generali Congr. Somaschae.

(4) Jo. Petrus Lucatelli Mediolanensis Ripaltae Marchio, a secretiori Cubiculo SS.D.N.PP. BENEDICTI XIV.

(5) Insubria olim pars Galliae Togatae, sive Cisalpinae trans Padum sitae. Ad Orientem Solem Abdua, & Lario lacu terminatur; ad Septentriones Rhoetis Vennonetibus; ad Occidentem Ticino, clade Scipionis, Gracchique insigni; ad Meridiem Eridano. *Paulus* vero *Jovius* Insubriam Ticino amne concludit, uberrimisque campis ad Abduam extendit, cujus Regionis tamquam umbilicus est Mediolanum.

(6) Quos tam humaniter excipit, ac laute fovet, ut cum Aedilitatem statim ab obitu Alexand. Greg. March. Capponii sit nactus, ei quotannis Academia annuum Magistratum unanimi suffragio prorogaverit.

(7) Quae magno empta, ne extra Urbem asportarentur; primus in Capitolium intulit CLEMENS XII. immortalis memoriae Pont. Opt. Max.

(8) Tum iis, quae BENEDICTUM XIV. P. O. M. addidit fortuito effossa, donata, aut empta, tum iis, quae Marchio LUCATELLUS ipse ex Museo proprio largitus est.

(9) Oeconomica, & politica; sed ea praecipue, quae acriorem antiquitatis inquisitionem requirunt.

Si tamen excipias BALDINUM, callet ut iste (10).
Solus ego deprensus ab hisce duobus amicis,
Occurro exultabundus venientibus, & me
Nuncupo felicem, liceat cui nempe diserto
Tantorum sermone frui, adspectuque Virorum.
Ilicet ad me illi: quid agis tam solus? Ego autem
Conjugii piget implicitum me lege teneri;
Quippe novam vitam mihi si foret integrum inire,
Hic mansurus ego, donec me surripiat Mors,
Monachus efficerer: nam quid jucundius isto,
Nobiliusque loco? Rident hic omnia, Coelum
Purius est: hic terra viret, dum caetera squallent
Arva: ferunt placido Zephyri flata basia colli.
Hunc Sol exoriens, hunc Occiduusque tuetur.
Roma, licet sublime tuum caput astra lacessat,
Cogeris huic frontem clivo inclinare superbam.
Haec Monti Natura dedit; debetur at arti
Tam laxa haec, & aprica, nitens, procera, venusta,
Tam procul adspicienda Domus Latialibus agris.
Addite, quod tanto certat quoque lauta nitori
Commoditas: metitus ego modo singula vidi,
Magnifice multis prospectum habitantibus esse.
Simplicitas nec abest exosa superflua, qualis
Rite decet paupertatis praecepta professos.
Hinc merito unanimi celebratur voce Quiritum
Coenobium hoc, celebri nova quod decora addidit Urbi.
Tunc LUCATELLUS ait: laetor, quod in Urbe probetur
Longobardorum ingenium, & concinna Minerva.
Sic placet Insubriae, sic aedificatur apud nos.
Ridicula est nobis ea magnificentia, quae non
Commoda, at ornatus ornatibus addit inanes.
Subdit BALDINUS: quae dicitis ambo, notavi
Ipse etiam, ac tacito laudavi pectore dudum;
Ast ego non video, cur de Templo sileamus,

 Mole

(10) Utriusque praestantiam in re antiquaria luculenter ea testantur, quae Typis vulgaverunt, ac quae MSS. penes se adhuc retinent: tum etiam eorum Musea rarioribus referta numismatibus, cimeliis, lapidariis Inscriptionibus, ac pluribus id genus monumentis.

Mole quod, & forma melioribus adnumeretur.
Hoc quoque laudassem, respondeo; cuncta sed uno
Commemorare simul nemo queat oris hiatu.
Ille minus laudabit enim tam nobile Templum,
Magnificum, & sacra cum majestate decorum,
Qui non viderit, aut quid sit laudabile nescit.
Sum tamen (ingenue ut fatear, quae corde profundo,
Spectans haec sensi) admiratus praecipue, quod
Tecta sibi, Templumque Deo tam celsa pararint
Hi nostri Ascetae, queis fundus pauperies est (11).
Subridens BALDINUS *ad haec: nugaris, Amice,*
Talia qui credas, vivisne hic civis, an hospes?
Cur ita? respondi: Nescis quia solus, ALEXJ
Hanc Aedem studio ILLIUS (12), *sumptuque novatam,*
Qui supra quoscunque, Dei, Divumque nitentes,
Excelsas cupit esse domos, praestatque, quod optat.
Si, ceu munificus, foret hic Venator honorum,
Sivisset poni sibi in Aedis limine Signum,
Quod totus, gratae monumentum nobile mentis,
Ponendum decrevit Ei Monasticus Ordo;
Hoc etenim inspecto potuisses scire, quis hujus
Conditor est Templi. Verum ultro maluit Ipse
Transferri decus hoc in Pontificem BENEDICTUM,
Cui, cum nobiliusque Pedum (13), *& sacra debeat Ostri*
Munera (14), *debet & hoc, quod grandia condere possit.*
Hoc authore, ab humo, Templumque, & Porticus alta
Surrexere, novoque micant perfecta decore;
Quippe vetustatis dentes ita senserat Aedes
Pristina, ut ingenti fuerit renovanda ruina.
Tunc ego: Te teneo: Templi tam nobilis author
Ille igitur, magnas a quo GREGORIUS (15) *aras,*

Dae-

(11) Re autem vera vix Monachi ad Coenobium aedificandum pecuniam conferre potuerunt.

(12) ANGELI MARIAE S. R. E. Cardin. QUIRINI Bibliothecarii, ac Episcopi Brixiensis.

(13) Translatus enim ab hoc Pontifice fuit ab Episcopatu Corcyrensi ad Brixiensem III. Kal. Augusti 1727.

(14) Cooptatus ab eodem inter S. R. E. Cardin. V. Idus Decembris 1726. Renunciatus vero publice VI. Kal. Decembris 1727.

(15) Aram scilicet maximam cum abside, auratisque emblematibus.

Daedaleumque Lithoſtroton (16), *aurata Anaglypta*
Sumſit, & a MARCI ſqualllorem ſuſtulit Aede (17),
Quam tot marmoribus, tanto variavit & auro,
Ut qui conſpiciat, vix credere poſſet eandem,
Ac fuerat prius: Haud aliter, qui Vere ſereno
Fruge nova pubeſcentem ingrediuntur in hortum,
Dum varium admirantur olus, novaque agmina florum,
Fragaque purpureo paſſim rutilantia vultu,
Dicere vix poſſunt: Hic nuper Bruma rigebat,
Stagnabant pluviae, denſabanturque pruinae.
Quin etiam audivi longe majoribus auctam
Molibus eſſe, Pater quam providus incolit, Urbem.
Excipit impatiens BALDINUS: pertinet ad Me
Dicere, quae memoras; melius quia calleo quicquid
Alta meae Patriae reſpexerit ornamenta.
Laetor enim hac Patria, tantaque ſuperbio Matre:
(18) *Non Cenomanorum quod opus ſit Brixia priſcum,*
(19) *Indigeniſque ſuis late imperitaverit olim;*
(20) *Nec quod Terra ferax, alieni haud indiga; nec quod*
(21) *Marte potens alacri, Romanis* (22) *aucta colonis,*
(23) *Virtutis, Fideique dedit monimenta ſtupendae;*
(24) *Nec quod inacceſſa turrita ſuperbiat arce,*

Pro-

(16) Pavimentum lapidibus ſtratum a λυθος lapis, & ςρωννυμι ſterno. Talia originem habuerunt apud Graecos. *Plin. lib. 36. cap. 26.*

(17) Non modo Templum D. Marci, ſed contermini etiam Palatii vaſtum atrium magnifice exornavit.

(18) Brixiam a Cenomanis conditam tradunt Livius, Ptolomaeus, & Plinius.

(19) Livius lib. XXXII. Brixiam vocat Cenomanorum caput.

(20) *Territorium late patet Oppidis, vicis, pagis ſtipatum, aquis irriguum ſaluberrimis, uberrimum tritici, reliquorumque frumenti generum; item vini, oleique fertile, neque carens ferri, aeriſque fecunditate*, ſcripſit Paul. Merula *Coſmograph. Par. II. lib. IV.*, qui paulo ſuperius dixerat: *Incolas locupletes, lautos, nobiles, ingeniique ſolertis.*

(21) „Brixia magnorum Genitrix animoſa virorum. *Baptiſta Mantuanus.*

(22) An. ab U. C. 665. Gn. Pomp. Strab. magni Pater hanc inter Tranſpadanas caeteras Latinam Coloniam deduxit. Quam poſtea C. Jul. Caeſ. Dictator Civitate donavit. *Sueton in vita Jul. Caeſ.* De Magiſtrat. ejus Quaeſt. Aedil. IV. Vir. I. D. IV. Vir. Quinquenn. VI. Vir. Auguſtalibus multam mentionem fieri in ejus litterariis lapidibus ſaeculo Chriſti XVI. effoſſis, teſtatur *Onuphr. Panvin. de Rom. Imperio.*

(23) Fidem erga Romanos perpetuo coluit, ac praecipue poſt infractos ab Hannibale Romanos ad Trebiam ſecundo Bello Punico.

(24) Natura, & arte munita, validoque firmata militum praeſidio.

(25) Progenuitque Viros, quos Mars, & Pallas amarunt,
Cum paribus multae celebrentur laudibus Urbes;
Sed quia, dante Deo, fruitur Pastore QUIRINO,
Cui non ulla parem queat Urbs jactare Parentem.
Sunt alii quoque patricia de Gente creati:
Sunt alii augusti forma, sermone diserti,
Sacratique Magistratu, fortuna opulenti.
Nec desunt, quibus est pietas, atque unica cordi
Relligio, nec amant nisi honesta, pudica, decora,
Sanctaque virtutum veterum praecepta sequuntur.
Corporis, ac mentis; sed qui bona continet in se
Omnia, nec minimo caveat vel munere sortis,
Dic quibus in terris reperitur? At inspice nostram
Brixiam, in hac sola solum reperire QUIRINUM est:
Quippe suum fovet ipse Gregem, nunc more Magistri (26),
Nunc Patris: docet indoctos, locupletat egenos (27),
Solatur miseros, scelus omne coercet, & arcet.
Excitat immensis Regales sumtibus Aedes,
Mole quidem magnas, majores attamen usu.
Bibliotheca (28) voluminibus stipata vetustis,
Innumerisque novis: sanctis domus ampla puellis (29):
Altera Epheborum ingeniis ad sacra probandis (30),
A fundamentis jussu constructa QUIRINI.

Sunt

(25) Clarissimos vitae sanctitate, literis, & armis Brixienses. *Vid. in Hist. Capreol.*

(26) Frequentibus monitis, & Pastoralibus edictis omni pietate, doctrina, atque eruditione refertis.

(27) Extat Numisma Brixiae signatum, quod altera facie Domum Pauperum repraesentat; in altera haec habet: „ Patris inopum ultra exempla „ Praedecessorum suorum beneficentissimi Effigiem, quam marmore sculptam in sac. Aedis suae atrio Congregatio Apostolica Brixiana poni „ jam curaverat, hoc etiam Numismate exprimi decrevit Anno Jubil. „ 1750. „

(28) De Bibliotheca, quae alio exhibetur Numismate, haec in eodem leguntur: „ Bibliothecae a se erectae, „ dotataeque commodo urbis Brixiensis Primario hujus Magistratui possessionem contradidit Anno Jubil. 1750.

(29) De hoc Monasterio habetur aliud Numisma, ita inscriptum: „ Salesianae Moniales in Valle Camuna, „ ex cessis sibi ejus Ducatus Annonis „ ab Antistite suo Anno 1729. institutae ad paris Regulae Coenobium in „ tractu Novariensi instituendum advocantur Anno Jubil. 1750.

(30) Numisma, quod hoc exprimit aedificium, haec habet: „ Pro dignoscenda vocatione ordinandorum Brixiae erectum a fundamentis Collegium plaudente Clero, & Populo „ universo Anno Jubil. 1750.

Sunt opera alta quidem ; sed qui cum principe Templo
Contulerint, videant inter viburna cupressum.
Hoc equidem nunquam potero describere fando,
Vix qui conspiciet, poterit cognoscere totum (31).
Nec solas Italum terras exornat abunde.
Interea soli sibi parcus (32), *at usque rigentis*
Ad Boreae Populos (33) *effundit munera, ibique*
Magnanimi statuit monimenta perennia cordis (34).
Caetera praeteream, memorare quis omnia posset?
Praeteriisse nefas tamen est, quod singula cultum
Respiciunt opera ista Dei, populique salutem.
Plura tamen calamo aedificat. Sapientia fervens,
Atque vigens in corde Viri sublimia ab arca
Pectoris eructat documenta, typisque perennat (35).
Scripta Patrum divina, gravi squallentia nocte
Restituit merito curaque, manuque diei (36):
Clara, vetustatis sed semisepulta tenebris
Gesta POLI, & PAULI perfudit luce Secundi (37),
CORCYRAEQUE suae, cui Pastor praefuit olim,
Edocuit doctis, quae sint primordia, chartis (38).

Vix

(31) Praetermissis pluribus, quae de maxima hac Basilica dici possunt, satis est indicare inscriptionem, quae in ejus peculiari Numismate legitur: „Munificentiam Antistitis sui, qua ex „insperato Cathedralis Aedes cultui „divino apta reddita est, pluribus jam „monumentis celebravit, laetiusque „concelebrat Brixia grata Anno Jubil. „1750.

(32) Tam enim frugalis est in iis, quae cultum proprium, supellectilem, mensamque respiciunt, ut mirum plane sit ex animo tanti Principis, tot Sacerdotiis, divitiis, honoribus, ac dignitatibus aucti, atque cumulati, numquam excidisse propositum illud spontaneae paupertatis, quam vovit Deo, cum inter Cassinenses Monachos nomen dedit.

(33) Praecipue ad Borussos.

(34) Berolini scilicet, ubi cum a fundamentis aedificetur Romani ritus Ecclesia aere ab Episcopis, & Principibus Catholicis collato, Eminentissimus QUIRINUS, non solum supra caeteros enituit, verum etiam illuc transmisit Venetiis elaborata marmorea simulacra Imaginem exprimentia Redivivi Reparatoris nostri, qui sub Olitoris specie D. Mariae Magdalenae apparuit.

(35) Sextum Numisma Brixianum, in quo extant prela typographica haec habet: „Ad probandam Rom. „Ecclesiae erga Heterodoxos charitatem, prela Brixiana, adnitente ejusdem Eccl. Rom. Card. Bibliotheca„rio, naviter desudant, praesertim „Anno Jubil. 1750.

(36) Opera S. Philastrii, & aliorum PP. Brixiensium.

(37) Scripsit vitam Pauli II. Veneti P.M. ac vitam Card. Reginaldi Poli Britanni.

(38) Liber inscribitur, *Primordia Corcyræ.*

Vix tamen utilius, vix commendatius inter
Inclyta scripta tot Illius reperire sit ullum,
Quam liber ille suae, quo tradidit aurea vitae
Facta, vices, studia, ingenium, incrementa, labores (39).
Posteritas hinc discet enim, sibi qua sit eundum
Ad sedem Virtutis, & ad Virtutis honores.
Atque ita perpetuum mittit post saecula nomen.
Ille brevi moritur, quamquam vel Nestoris annos
Exsuperet senio, sua cui modo vivitur aetas,
Nec satagit post fata dies extendere vitae:
Namque . . . sed excepit LUCATELLUS, amice, Latinas
Nos colimus terras, non Indica rura, nec undas
Nascentis bibimus Nili (40), *aut morientis Araxis* (41).
Scilicet ut mores doceamur, gestaque tanti
Praesulis, Antipodes quamvis pervasit ad ipsos,
Ac sub utrumque polum celeberrima fama QUIRINI.
Missa igitur facias, tibi quae memoranda supersunt,
Plura nec his aures nostras, tuaque ora fatiges.
Nam de Cive meo (42) *nil diximus hactenus, illo*
Scilicet, incubuit cui non modo cura novandi
Coenobii, ac Templi; sed conscribenda fuerunt,
Quae spectant ad utrumque vetustis eruta saeclis.
Praestitit aedificans, quae cernimus: an sibi laudem
Quaesierit dubitare nefas; at prodidit acris
Judicii specimen locupletius hic liber, in quo
Tam bene ab incertis secernit certa, sagaci
Ingenio assequitur, quae vix tentanda putares,
Ut solidae critices opus admirabile dicas.
Si sacra conquiras, sacra plura doceberis illinc:
Sive prophana placent, ibi multa prophana leguntur.
Quique vetustatis sitiunt arcana profundae,
Hinc poterunt explere sitim de gurgite pleno.
Perspicua est methodus, res ex re labitur ultro:
Dictio pura, stylique lepos, Veneresque latinae

Assi-

(39) Desideratur continuatio hujus Commentarii.

(40) In extrema videlicet Aethiopia sub montibus Lunae.

(41) Qui in Mare Caspium influit juxta *Plin. Nat. Histor. lib. 6. cap 9.*

(42) Reverendissimus Abbas Felix Maria Nerinius Mediolanensis aedificando Monasterio, & Ecclesiae Praefectus.

Afficiunt mira doctos dulcedine: verbo:
Huic operi nihil est quod demas, nil quod & addas.
Tunc ego: NERINUM doctum sublimia noram,
At molles (43) *Musarum* (44) *artes spreviſſe putaram;*
Quandoquidem totas intendit ad ardua vires.
Ille vices Elementorum, instabilesque figuras,
Quas subeat corpus variabile materiei,
Quae rerum causae, quae sint primordia callet.
Scire cupis Libyae, quot abundet campus arenis,
Ille tibi innumeras Libyae numerabit arenas.
Metiri Terras, Pelagum, spatia invia Olympi,
Atque renascentes (45), *feralia signa* (46), *Cometas*
Ille solet: magnos astrorum ponderat orbes,
Stellarum eclypses (47), *progressus, atque regressus* (48)
Praevidet, ac Synodos (49), *triplices praedicit, & ortus* (50).
Oceani, Terraeque omnes, Coelique latebras
Scrutabundus adit, dum singula noscit in ipsis.
Quin etiam celeri mentis super astra volatu
Raptus inaccessi penetralia permeat axis,
Miratur propiusque Deum, ac Divina tuetur (51).
Hiccine Vir sese convertit ad historiam, quam
Jucundum legere est; sed concinnare molestum?

 Prae-

(43) Quia molliunt ingenia, mores, & orationem.

(44) Cum Filiae dicantur memoriae. ad eas pertinet narratio rerum gestarum. Praecipue tamen Historiae praeest Clio.

(45) Recentiores Astronomi, duce Cassino V. C. Bononiense, superiori saeculo coeperunt sententiam vetustissimorum amplecti, qui arbitrati sunt Cometas inter Planetas esse recensendos, ut videre est apud *Arist. Meteorolog. lib. 1. Senecam Natural. Quaest. lib. 7. cap. 27. Plutarc. de Placit. Philosoph. lib. 3. cap. 2. Diodor. Siculum qui Bibliothecae Hist. lib 3. cap. 2. ait Aegyptios Cometarum ortus praedixisse.*

(46) Uti Vulgus opinatur, cum singulis annis, quin Cometae appareant, alicubi atrocia contingant.

(47) Non modo Solis ac Lunae sed caeterorum etiam Planetarum, eorumque Satellitum.

(48) Dicunt Astronomi Planetas directos cum secundum ordinem signorum progrediuntur, Retrogrados vero si quando retrocedunt.

(49) Cum plures Planetae in eodem signo conjunguntur.

(50) Tripliciter Syderum ortum, & occasum vocamus. Quod enim orienti cooritur Soli, coocciditque κοσμικῶς oriri, atque occidere dicimus. Quod Soli occidenti χρονικῶς. Quod vero Solis adventu, abituve occultatur, aut emergit ἡλιακῶς.

(51) Cum sit in Theologicis disciplinis versatissimus.

Praecipue de barbarico cum tempore (52) sermo
Instituendus erit, medio dum plurima cursu
Deficiunt; cum desit adhuc ubi quaerere possis.
Excepit LUCATELLUS: Ego nil miror, acuta haec
Ingenia oblectant sese, recreantque profundis
Ab studiis, sibi proposito leviore labore;
Praesertim quando utilitas, ac summa sequatur
Gloria, opus numeris concinnatum omnibus, Author
Quale dedit noster, famae qui plurima reddit
Nomina Nobilium senio consumta Virorum (53).
In lucem revocat pietatis dona vetustae;
Quaeque ad opus tantum nostra haec pia contulit aetas,
Ad seram jubet ire perennia posteritatem.
Haec quae tam solide nunc stant, aliquando peribunt.
NERINI tamen omne ferentur scripta per aevum.
Ergo tui Civi BALDINUS gratulor, inquit,
Atque tibi, & nostris, quibus hic Vir contigit annis.
Sed vide, Amice, dies nos deserit: Ipse, priusquam
Adveniat nox uda, domum rediisse perópto.
Annuimus facile, subito discessimus, & nos
Exceptos curru LUCATELLUS reddidit Urbi.

(52) In ea incidit saecula Historia haec, in quibus barbarie increbrescente, obscuriora fieri coeperunt, loca, tempora, & res gestae.

(53) Praecipue Abbatum, & veterum Monachorum, qui hoc Coenobium sanctitate vitae illustraverunt.

VOL-

VOLGARIZZAMENTO
DELLA STESSA
EPISTOLA LATINA
FATTO DA G. T. G.

COsa narrar ti vo', Nerin, che forse
A le tue orecchie fia gioconda: Ascolta.
Testè de l'Aventin sul molle clivo
Salendo, per quel poggio dilettevole
Solo co' miei pensier men giva, e tacito,
Gli occhj paghi rendendo or con la vista
Del Tevere, che sotto ivi sen passa,
Or col bell'ordin de gli ameni campi,
Ora del mar con la rimota piaggia.
Pieno d'alti pensier alfin mi stetti
Là dove al colle forma ampia corona
Quel antico di Alessio augusto Tempio,
Cui il popolo Roman frequenta, e cole.
Mirai con quanta maestate il sacro
Bel limitare adombri un alto portico
Di sei colonne alteramente ornato.
Ma lunga pezza di stupor m'empìo
Quello, ch'ivi sta eretto, eccelso Marmo,
Che 'l venerabil volto rappresenta
Di Benedetto il sommo, e gran Pontefice,
Che da l'antico sangue de gli Orsini
La stirpe trasse, e 'l nome, e le virtuti.
Del magnifico Tempio alfin io vidi
A parte a parte ciò, ch'ai spettatori
Suol recar gioja, ed arrestar il passo.
Anzi pur me n'entrai de l'ampio Chiostro
Ne le sale magnifiche, e ne gli atrii,
Dentro le sacre celle, e ne' Cenacoli.
Stanco a la fine sott' ombrosa pianta
A respirar aure più leni, e fresche

Su molle erbetta nel giardin m'assisi;
Quand' ecco duo venir a lento passo
Scorgo ver me: nel lor volto splendea
Piacevol maestate, e un grave amabile.
Che fior d'uomini e qual! O che bell'Alme!
Gli riconobbi tosto: altri non avvi
Di questi duo a me più noto o caro.
L'un d'essi era BALDIN, quegli cui Brescia,
La forte Brescia diede e latte, e vita,
Cui Roma poi tra suoi Quiriti aggiunse.
Questa ammirando in sì raro suggetto
Con gran dottrina unita alta pietate
De' Sacri Riti il volle al gran Consesso,
A quel, cui'l mondo obediente onora.
Guari non ha, che per virtute asceso
De la Somasca gente il sacro freno
Ottenne, e resse Padre insieme e Duce.
L'altr'era LOCATEL: in un sol nome
O quanti hai tu di laude eccelsi titoli!
D'altro di Lui più illustre appena sia,
Che si vantin giammai le piagge Insubri.
Ei de' Poeti Mecenate splendido
De l'antica virtù fra i dotti Alunni
Scieglie gli amici suoi, e i be' palagi
Superbi, e alteri, e l'ampie sue ricchezze
Che sien comuni a tutti ed ama, e vuole.
Egli Edil de' Quirini splendidissimo
Seder si pregia, e le lor glorie accresce.
A lui son dati a guardia, anzi raddoppia
Quelli, che in Campidoglio ognor si serbano
Rari vetusti effigiati marmi;
Soglionsi a lui le più scabrose imprese
Dal gran PADRE addossar, a cui ben note
Di dottrina, d'ingegno, e d'onestate
Son l'alte doti, e di sincera fede,
Mentre nulla mercè mai cerca, o spera,
Fuorchè di Roma lo splendor, la gloria.
Qual tra Quiriti v'ha, NERINO, a cui

Tan-

Tanto mai debba la ſua patria Terra,
Quanto dè a queſto nobil peregrino?
Più di coſtui qual v'ha, cui noti ſieno
De la gran Roma i monumenti antichi,
Se BALDINO non chiami al gran confronto?
Solo da sì gentil coppia ſorpreſo
Pien d'allegrezza il cor ver Lor mi affretto,
O me, diſſi, beato, a cui or lice
Goder di queſti sì leggiadri Spirti
L'eloquenti parole, e 'l dolce aſpetto!
Toſto Eſſi a me: che fai, diſſer, qui ſolo?
Piango, riſpoſi, di vedermi avvinto
A conjugale indiſſolubil nodo;
Che s'altro viver or mi fora lecito,
Da ſacri voti eternamente aſtretto
Quì guiderei miei giorni, fin che morte
Il fil recida di mia ſtanca vita:
Poichè di queſta qual più nobil parte
Avvi quì 'n terra, qual più lieta e bella?
Le coſe tutte qua ridono, e 'l Cielo
Sgombro di nubi più ſereno appare:
Quì verde è il ſuol, allor che i campi altrui
Squallidi ſono: a queſto colle intorno
Con le dorate penne i zefiretti
Godon ſcherzar co' fiori e con le foglie.
Sorge da l'Oriente appena il Sole,
Che ſue luci converte a queſto colle:
A mezzo il corſo i raggi ſuoi contempra,
Temente forſe che ſoverchio il fiedano:
E allor che debbe ne l'Eſperid' onde
Tuffar gli ſtanchi candidi deſtrieri,
Tal il mira, che par, che pur gl'increſca
Sì bel poggio laſciar in preda a l'ombre.
Roma, benchè l'altier tuo capo eſtolli
A l'alte ſtelle, la ſuperba fronte
A queſto colle or piega. Sì bei pregi
Gli diè natura; ma queſt' ampio e aprico
Riſplendente magnifico ſuperbo

Vago

Vago ſoggiorno, che da lungi miraſi
Dai bei paeſi del felice Lazio,
Si debbe all' arte. A tai bellezze aggiugni
I molti, e rari innumerevol agi.
L'ampiezza ſua vid' io atta a ricevere
Splendidamente e gli abitanti, e gli oſpiti.
Vè inſiem ſimplicità, che le ſuperflue
Coſe non cura, come pur conviene,
A chi le vie di povertate abbraccia.
Quindi è, che da Romani ad una voce
Si applaude, e loda il nobil edifizio,
Che ſplendor novo aggiunge a l'alta Roma.
Diſſe allor LOCATEL: godo che in Roma
De' Lombardi ſi approvi il genio e 'l guſto:
Sì piace anco a gli Inſubri, e tal da Noi
Si ſerba in fabbricar laudabil uſo:
Noi pur quella ridiam magnificenzia,
Che d'agi priva, e ſol bellezze amando
Vani ornamenti a gli ornamenti ammaſſa.
BALDIN ſoggiunſe: ciò ch'ambo Voi dite,
Anch' io 'l notai, e in me tacitamente
Il lodai già: ma io certo non veggio
Perchè del Tempio poi, che per la mole
E per la rara ſua vaghezza vuolſi
Tra primi annoverar, da Voi ſi taccia.
Queſto, riſpoſe, pur lodato avria,
Ma di tutto parlar non m'è conceſſo
In un punto: Colui ſolo nol loda
Che nol vide, o non ſa che ſia laudabile.
Ma (per dir ciò, che nel mio cor ſentii,
Mentre tai coſe lieto riſguardava)
Sopra tutto reſtai ſtupido e attonito
In veder, che un ſoggiorno sì ſuperbo,
E un tanto auguſto Tempio alzaro a Dio
Que' che ſol povertate hanno in retaggio.
Sorridendo BALDINO a tai parole:
Scherzi, Amico, ſe tal coſa pur credi?
Dimmi ſei Tu quì Cittadino, od Oſpite?

Perchè

Perchè? dissi: Perchè Tu solo ignori
Che di tal Tempio il rinnovar le antiche
Cadenti mura fu nobile impegno,
E spesa di COLUI, che sovra ogni altro
Vuol che di Dio le Case, e de' suoi Santi
Vaghe sieno magnifiche ed eccelse,
E che quanto Egli vuol, con l'opra adempie.
Che s'Egli fusse de gli onor sì amante,
Come Grande il veggiamo, e Liberale,
Sul primo limitar permesso avria,
Che si ergesse la sua nobil' effigie,
Che l'Ordin tutto di suo grato core
Erger voleva a monumento eterno:
Vista la qual saper potuto aresti
Chi di tal Tempio fosse il grande Autore;
Ma volle anzi che tal gloria si desse
Di BENEDETTO a l'immortal memoria,
A cui dovendo la Bresciana Mitra
La pastoral sua Verga, e la gran Porpora,
Debbe ancor il poter eccelse imprese.
Per sì nobile Autor in alto surfero
Il glorioso Tempio, ed il bel Portico,
Che di tanti ornamenti ora risplendono,
Mentre dal dente del vorace tempo
Eran sì rose le vetuste mura,
Che riparar fu duopo la ruina.
Io allor: t' intendo: di sì illustre Tempio
Quel fu dunque l' Autor, da cui la Massima
Ara il Grande GREGORIO, e 'l Pavimento
Opra d'alto lavoro, e i rari Emblemi
Ebbe d'auro, e d'argento? Il qual di MARCO
Togliendo al Tempio il suo squallore antico
L'ornò di bianchi pellegrini marmi,
E sì d'oro intrecciollo, che Tu appena
Veggendol dir potresti: egli è quel desso?
Così appunto adivien qualora in giorni
Del vago Aprile in un giardino ameno

Entri

Entri a veder i nuovi fior che ſpuntano,
Mentre i candidi gigli, e i be' giacinti,
Le mammolette e pallide viole,
Le porporine fragole, ed i mille
Altri dipinti fior e perſi, e gialli
Pien di dolce fragranza i ſenſi, e l'alma
Eſtatico contempli, dir non puoi,
Teſtè quì fuvi il gel, quì in morti ſtagni
S'unir le piogge, e ſi denſaro i nembi.
Anzi udii, d'aſſai più ſuperbe Moli
Aver Egli arricchita la Cittade,
Che di sì gran Paſtor ſi gloria, e vanta.
Quì BALDIN m'interuppe impaziente:
A me, diſſe, ſi ſpetta a far parola
Di quanto narri Tu, come colui,
Cui note ſon le coſe, che riſguardano
Gli alti ornamenti della Patria mia:
Ch'io vo' di Patria tal lieto non meno,
Che di tal Madre glorioſo e altero.
Non già perchè de' Cenomanni antica
Opra ſia Breſcia, nè perch' abbia un tempo
Suo ſcettro ſteſſo ſu vicini Popoli,
Non perchè fertil terra, e di ſe ſteſſa
Contenta a pien, l'altrui non cerca e cura:
Nè perchè ſiegua del terribil Marte
I fieri ſtudi, non perchè da Roma
Tra ſue Colonie ammeſſa al Mondo diede
Di valore, e di fede illuſtri pegni:
Nemmen perchè d'inacceſſibil Rocca,
E di Torri munita al Ciel s'innalzi,
E Madre ſia d'Eroi, cui Marte, e Palla
Amando cinſer di vittrici palme,
Ch' altre Cittadi ancor di queſte laudi
A par di Lei ne van ſuperbe e altere,
Ma ſol perchè, favor grande del Cielo!
Gode per ſuo Paſtor il Gran QUIRINO,
Quel Gran QUIRIN, di cui non ſia giammai

Ch'

Ch' altra Cittade aver non che maggiore
Un ſimile Paſtor ſi vanti e ſperi.
Altri ve n'ha bensì creati, e ſcelti
Al par di Lui fra la Togata Gente.
Altri vi ſon d'aſpetto venerandi,
D' eloquenza forniti, e di ricchezze,
A cui un ſacro terror l'angolar Mitra
Concilia e maeſtate in fra le genti.
Non vi mancano già, cui la pietate,
E la Religione unicamente
In cima ſegga a loro alti penſieri,
Che l'Oneſto ſoltanto, il Ver, l'Onore
Fan di lor voglie unico e caro obbietto,
E ſieguon di virtute i chiari eſempi.
Ma chi del corpo al par che de l'ingegno
Tutte contenga in ſe le rare doti;
Ma chi ne vada d'ogni don più bello
Di fortuna, e del Ciel adorno, dove,
Dove ſia mai, che ſu la terra il trovi?
Ma deh lo ſguardo volgi alla mia Breſcia:
In Lei ſola il vedrai, e un ſol Quirino.
Egli il ſuo gregge paſce or qual Maeſtro,
Ed or qual Padre amante in ſen l'accoglie:
Ei di dottrina pieno altrui ne dona,
Li non dotti inſtruendo: Ei chiama a parte
Di ſue ricchezze, chi per povertate
Miſero tragge in pianto i giorni, e l'ore:
Ei de gli afflitti unica ſpeme e gioja
Ogni empietate al fin previene, e affrena.
Con immenſi teſori opre regali
Per mole eccelſe, ma maggior per l'uſo
Da Lui veggiamo alzar ſin a le ſtelle.
D'antichiſſimi Libri onuſta e denſa,
E d'altri più recenti, ma non meno
Degni, che eternità gli ammiri e pregi,
Per Lui Biblioteca auguſta ſorſe.
A pie Donzelle un ſacro ampio Soggiorno,
Ed un altro da ſua pietate eretto,

E destinato a far de' Giovanetti,
Che ai sacri Uffizi dedicar si vogliono,
De' costumi, e d'ingegno esatte prove,
L'opre son, ch' or veggiam, e di cui volle
Gettar le fondamenta il Gran Quirino:
Superbe opre bensì, ma chi col Tempio
Maggior di Brescia quelle pone a fronte,
Tra Viburni vedrà alto Cipresso.
Ma questa impresa unqua non fia ch'io possa
Co' miei versi agguagliare, e con parole.
Per fin chi parte a parte lo contempla,
Non può tutti adeguar suoi rari pregi.
Nè l'Itale Città sol tanto esorna
Largamente di sua magnificenza:
Ma con se solo avaro austero, e parco
Le magnifiche idee, e i suoi gran doni
Sin là dell' Aquilon tra i vasti popoli
Estende tal, che lascia ivi del suo
Sì magnanimo cor memorie eterne.
L' altre cose mi taccio; e chi potria
Cose in un abbracciar sì varie e tante?
Ma tacer già non lice le bell' opre
Ch' an per nobile obbietto il Divin culto,
O la salvezza de l'amato gregge.
Ei più assai che con l'or, e con l'argento,
Con l'aurea penna al Ciel s' innalza, e edifica.
La fervida Sapienza, ond' egli ha pieno
E core e mente ed alma, alti e sublimi
Documenti spremendo dal suo petto,
Donali al Mondo in marmi e carte impressi.
I Divin Scritti de gli antichi Padri,
Che si giaceano in folta notte oscura,
Cogli onorati suoi studi, e travagli
Richiamolli alla già perduta luce:
Le chiare gesta de l' Immortal Polo,
Chiare, ma che l' antichità tenea
Nel cieco oblio sepolte, e fra le tenebre,
Quelle di Paolo ancor Secondo Ei sparse

D'e-

D' eterno lume, e d' un immensa gloria.
